



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio IV. De Unitate, ingenerabilitate, & incorruptibilitate Materiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DIFFICULTAS I.

net autem materia, adhuc complebilis ab aliis formis.

Dices tertio. Id quod habet aliquis eminenter, non desiderat habere formaliter. Ergo etiam materia, habens formam æquivalentem reliquis, non desiderat reliquas. Antecedens probatur: quia etiam Deus, habens entitatem suam, æquivalentem perfectione quibuscumque possibilibus, non desiderat reliquas perfectiones, nec homo æquivalens perfectione bruto, desiderat esse brutum.

RESPONDETUR. Id, quod aliquis continet eminenter, potest desiderare appetitu innato, licet non elicto: non quidem elicto, contentatur enim illo eminenti; sed potest desiderare appetitu innato, eo, quod ille, sit ipsamet entitas, & bonitas alius, quorum utrumque reperitur, habito etiam aliquo eminenter continente. Deinde Antecedens non convincit, nec inductio est sufficiens, nam unus Imperialis, continet unum grossum, & alterum, & tamen habito Imperiali, desiderantur illi grossi. Porro, tunc habito eo, quod eminenter continet reliqua, non desiderat quis habere alia, quando illa alia, nihil habent specialis propriæ, & debitæ appetenti, amabilitatis, sicut esse creaturæ, nihil habet propriæ specialis, & debitæ amabilitatis Deo, esse item bruti, respectu hominis. Jam verò, in comparatione perfectioris Formæ, habent adhuc formæ ignobiliores propriam, specialem, debitam appetitui Materiæ, perfectionem, adferuntque prædicatum, dignum adhuc materia, nempe alius rationis substantiale compositum.

QUÆSTIO IV.

De Unitate, ingenerabilitate, & incorruptibilitate Materiæ.

A Gemus imprimis de Unitate Materiæ, postea de ejus ingenerabilitate & incorruptibilitate. *Quod attinet ad Unitatem:*

Corporalia sunt corruptibilia, alia incorruptibilia; de utrorumque materiæ unitate, agendum erit. Et quidem, non quæremus hic, de unitate numerica materiæ, nam certum est, in singulis individuis materialibus, esse illam divisam, & multiplicatam realiter, quod ipsa separabilitas arguit, sed erit quæstio de unitate specifica; An scilicet in omnibus corporibus, sit eadem specie materia?

De quo fit:

An Corporum corruptibilium eadem sit specie materia?

Uo hic inquiremus. 1. An materia sublunarium, defacto sit una specie? 2. An sit possibilis alia specie? *Quoad primum,*

Dicendum est primò. *Materiam corporum sublunarium, esse eandem specie.*

PROBARI solet 1. Omnia corpora sublunaria, transmutantur adinvicem, ut ipsa experientia ostendit, & tamen ratione materiæ non requirunt diversitatem specificam. Ergo materia in omnibus sublunariis, est eadem specie. Antecedens probatur: Quia si in transmutationibus acquireretur materia distincta specie, tunc v. g. Paulus, comedens nonnisi pisces, & olera, esset distinctus à Joanne, comedente carnes.

RESPONDERI posset. Concedendo prædictam distinctionem, negandoque ulterius intervenire tunc continuationem, in illis materiis, neque extrema haberent idem, sed intervenire solam non discernitionem & contiguitatem, qualis habetur in osse, & carne, & si hæc contiguitas petibilis ob diversitatem formarum, non obest animationi, nec oberit contiguitas petibilis ob diversitatem materiæ, sufficiet enim, nullam intercipi partem, ubi non sit materia, & ubi non sit Forma, eritque adhuc totum illud unum per se, quia constabit partibus, quarum una, est potentia, alia actus, utrumque substantiale utrumque ordinatum ad se.

PROBARI potest 2. Quorum prædicatum, primo essentiale est idem, illa sunt idem specie, & sic quia esse animal rationale, est primò essentiale, tam Petro, quam Paulo, hinc idem sunt hæc, specie; sed materiæ quorumcunque sublunarium, habent eundem conceptum primo essentialem; omnes enim sunt subiectum primum, vel potentia radicaliter accepta, &c. Ergo.

RESPONDERI posset. Hunc conceptum, esse primò essentialem, materiæ genericè acceptæ, & sicut primò essentialis conceptus animalis, est vivens sensitivum, & tamen sub vivente sensitivo, dantur plures species; ita sub hoc primo essentiali conceptu, qui est esse subiectum primum, possunt esse, distincta specie, subiecta prima. *Hinc commodius,*

PROBATUR 3. Conclusio, argumento negativo, nullum est fundamentum & nulla necessitas, adstruendæ hujus specificæ diversitatis, in ipsa Materia, proportionandique ita Materias Formis, ut pro diversitate formarum, sit diversitas, Materiæ. Et sicut eidem ligno potest induci forma artificialis Mercurii, & Saturni; sic eadem specie materia, dicenda est, esse capax plurium formarum.

Obj-

OBJICITUR 1. Auctoritas Aristot. qui 1. Phys. cap. 6. Tex. 60. dicit: Materiam in omni transmutatione, esse eandem numero, sed non specie.

RESPONDETUR. Explicando Aristotelem, quod scilicet, velit materiam in omni transmutatione aliam esse specie, non ratione sui, sed ratione formæ distinctæ; aliàs si ratione sui, esset alia specie forma, non jam maneret eadem numero, cum identificentur inter se, numerica, & specifica unitas.

OBJICITUR 2. Formæ sunt distinctæ specie. Ergo & Materia.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia est necessitas plurificandi specie distinctas formas, quia aliàs homo, & planta non different à se, specie, sed non nisi accidentaliter, quod absurdum non sequeretur, posita indistinctione specifica materiæ, & posita distinctione specifica in formis. Rursus quia intervenit signum distinctionis specifica formarum, nempe notabilis diversitas, quam arguit arguit congeries accidentium determinatorum, nullum autem habetur signum, notabilis differentie materiæ, cum diversitas congeriei accidentium, bene referri posset, in solam diversam formam.

OBJICITUR 3. Materia Adamantis, non est capax aliarum formarum, quod sufficiens est signum distinctionis specifica, indubie, enim notabiliter differunt, Materia capax aliarum formarum, & incapax aliarum formarum.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, nam ars humana, habet modum liquandi etiam Adamantes, & etiam si non haberet, posset dici, quod incapax illa referri debeat, in unionem distinctam specie, ab aliis, & non in ipsammet entitatem Materiæ, referri item posset, in ipsam formam Adamantis, tales dispositiones deprecantis, quas aliæ formæ, non curent debellare.

DICENDUM est secundò. *Possibile esse dari aliam Materiam, specie distinctam à nostrate.*

PROBATUR. Quia id non implicat contradictionem, & si admittitur tanta varietas specifica Angelorum, etiam in actum jam reducta, cur non admittatur distinctio specifica, saltem possibilis Materialium? & sicut possibiles sunt plures specie animæ rationales, cur non idem dicendum de Materiis?

DICENDUM est tertio. *Hanc in specie Materiam, quæ de facto datur, non est possibile plurificari in aliam specie Materiam.* Hoc, puto sensisse Scotum, in 2. dist. 14. quæst. 1. Ut intentum Conclusionis intelligatur, hoc volumus; quod rationem subiecti primi, accipiendo pro hac specie subiecti primi, non sit possibile multiplicari specie.

PROBATUR 1. Implicat contradictionem, ut unius rei essent duo primò essentialis conceptus adæquati, specie distincti, sed si hæc in specie materia, quæ modo est, posset in alias spe-

cie materias plurificari, unius rei, essent duo, primò essentialis conceptus adæquati, specie distincti. Ergo implicat, hanc in specie materiam, plurificari in alias specie materias. Major probatur. Implicat contradictionem, idem esse, & non esse; sed si unius rei essent duo primò essentialis conceptus, idem esset & non esset. Quod ipsum probatur: Supponamus unum primò essentialem conceptum esse A, & alium B. Conceptus A, diceret negationem primò essentialis conceptus B, & B, diceret esse sui, aliàs, si primò essentialis conceptus A, non diceret negationem primò essentialis conceptus B, non essent duo, sicut non essent duo, Petrus & Paulus, si Petrus non diceret negationem Pauli. Ergo si unius rei, essent duo, primò essentialis conceptus, idem esset & non esset. Minor illa principalis, si, hæc, in specie materia, plurificari posset in alias species materiæ, unius ejusdemque rei, essent duo primò essentialis conceptus adæquati specie distincti, sic probatur. Ista materia in quam plurificaretur, hæc species nostratis materiæ, deberet habere conceptum, huius in specie materiæ, aliàs non posset dici, hæc materia plurificari, sicut, quia homo plurificatur in Petro, & Paulo, manet in utroque species hominis: rursus, illa materia, in quam plurificaretur nostras materia, haberet conceptum alius in specie materiæ, non enim duæ essent in specie materiæ. Ergo si hæc in specie materia, posset plurificari in alias specie materias, essent unius rei, duo conceptus specie distincti.

PROBATUR 2. Si non implicaret, hanc in specie materiam plurificari in alias specie materias, non implicaret hircocervus. Sequela probatur: Si non implicaret, hanc in specie materiam, plurificari in alias specie materias, esset illa materia, in quam hæc nostras multiplicaretur, in duplici specie. Ergo si non implicaret, huius in specie materiæ plurificari in aliam specie materiam, non implicaret hircocervus, hic enim implicat, quia esset in duplici specie, hirci & cervi: illa autem etiam materia, esset & in specie nostratis, & in specie alius materiæ: Omne enim plurificabile, debet esse in plurificato, & omne plurificatum specificum, addit suam speciem, quomodo enim esset plurificatum specificum?

PROBATUR 3. Si hæc materia, esset in alias specie materias plurificabilis, & esset in ultima specie infima, & non esset, esset ut supponitur: omnia enim, quæ existunt in ultima specie existunt, ut probari potest ex iis, ubi dicitur, non dari individua generica, à parte rei: non esset autem in infima specie, quia plurificabilis in alias species.

Sed contra Conclusionem secundam.

OBJICITUR 1. Si esset possibilis, alia specie materia, non esset ratio, cur de facto non deretur.

RESPON-

RESPONDET Arriaga: ad res multiplicandas, necessarium est positivum fundamentum, ad negandam autem eorum multiplicatam, non est tale fundamentum requisitum. Cum ergo nullum sit positivum fundamentum, affirmandi hanc multiplicatam materiam, erit ratio sufficiens negandi illam.

OBJICITUR 2. Si possibilis esset, materia specie distincta, à nostrate, esset etiam hæc, quæ foret determinata nonnisi ad unam formam; sed hæc non esset specie distincta, non enim esset ratio, ut si posset recipere unam formam, non posset recipere aliam, cum non major requiratur virtus, ad unam formam recipiendam, quàm ad aliam.

RESPONDETUR. Ex essentiali determinatione nonnisi ad unam formam, (quæ possibilis est) impediretur, ne ullo modo, posset recipere aliam formam, defectuque ordinis ad illam. Si illi nihilominus uniretur forma, uniretur ita, sicut uniretur albedo Angelo; & sicut quævis non requiratur major virtus ad rugiendum, quàm ad ratiocinandum, neque tamen homo rugire potest ita non ex imbecillitate virium oriretur, quod non posset aliam formam, dicta materia recipere, sed ex intrinsecis prædicationis, ordinem dicentibus, nonnisi ad hanc formam.

OBJICITUR 3. Imperfectissimo ente, imperfectius dari non potest, etiam divinitus; aliàs hoc ipso, non esset illud primum imperfectissimum: sed materia est Ens imperfectissimum. Ergo.

RESPONDETUR. Saltem possibilis est materia perfectior hac nostrate: ad verificandam autem hanc conclusionem, sufficeret, vel sic, posse illam multiplicari. Rursus, si possunt dari duæ species & perfectiones æquales, cur etiam non poterunt dari duo entia in imperfectione æqualia? imperfectissimaque est materia præfens, non per exclusionem magis adhuc imperfectiabilis, sed est substantia imperfectissima, inter eas, quæ dantur. Ex Suar. etiam D. 13, S. 11. N. 2. dici potest, quod Ente imperfectissimo, quoad genus, possit dari imperfectius, non quoad genus, sed quoad speciem, licet Ente imperfectissimo, & quoad genus, & quoad speciem, imperfectior species, dari non possit; jam autem Materia, est quid imperfectissimum, quoad genus, est enim imperfectior Entibus completis, formis substantialibus, &c. sed non est imperfectissimum, quoad speciem.

INSTABIS. Actui puro, qui est Deus, non potest dari similis in specie Actus purus, estque Deus Ens perfectissimum, per exclusionem alius paris. Ergo neque potentia puræ, potest similis dari in specie potentia pura.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia pro Unitate Dei, stat demonstratio, petibilis ex independentia in gubernando, a seitate, in fin-

tate exhauriente plurificationem &c. nulla autem similis ratio pugnat pro materia.

DIFFICULTAS II.

Eademne specie Materia in corporibus celestibus?

PRÆMITTO primò. Non esse ullam demonstrativam rationem cælos defacto compositos esse, ex materia, quæcunque tandem illa sit, & ex forma, supposito quod esset possibile corpus simplex, de quo infra. Est præmissum durandi, Gabrielis, Ballo, & aliorum apud Conim. lib. I. de cælo q. 4. a. 1. licet oppositum graves viri censeant, vide Suar. Disp. 13. Sect. 16. n. 2.

RATIO. Præmissi est, quia nulla potest adferri demonstratio in oppositum.

DICES I. Cælos esse corruptibiles, & fides & ratio docet. Ergo debent esse compositi, ex Materia, & Forma.

RESPONDETUR. Cælos esse corruptibiles, nonnisi ab extrinseco, corruptibilitas autem ab extrinseco, non arguit compositionem, sicut nec arguit in Angelis. Corruptio autem ab intrinseco, arguit compositionem, quia arguit pugnam qualitaturn contrariarum, quæ sunt instrumentum materiam, ad nanciscendum aliam formam, corpus autem simplex, corruptibile esset ab extrinseco.

DICES secundò. Cui convenit passio necessaria corporis compositi, ex materia & forma, cælis autem convenit motus, qui est, necessaria passio corporis compositi.

RESPONDETUR. Motum, qui fit per generationem substantialem, necessario supponere materiam, & formam, supponit enim commune subjectum, amissa præcedenti forma idque ob rationem aliàs adlatam: sed motus accidentalis, & ab extrinseco, non supponit hanc compositionem, hinc si daretur corpus simplex, posset moveri ab Angelo, sicut moventur Cæli.

DICES tertio. Quantitas & densitas cælorum, sufficienter in illis ostendunt compositionem, ex materia & forma.

RESPONDETUR quod non: Quia quantitas est passio ipsiusmet materiam, quæ tamen non est composita: densum etiam licet definiatur per id, quod habet parum de quantitate, multum de materia, tamen ne hoc arguit compositionem, sed tantum arguit aliquid illic materiale.

PRÆMITTO secundò. Nec pro contrario, nempe cælos non esse compositos ex materia, & forma, ul-
la adfertur demonstratio.

† i

RATIO

RATIO Præmissi, solutio objectionum.

DICES 1. In cognitionem materiæ, Philosophi non venerunt, nisi per viam mutationis, in cœlis nullum est vestigium transmutationis. Ergo nec materia.

RESPONDET Suarez: Quod primò venerint Philosophi in cognitionem materiæ, per transmutationem, postea tamen à pari argumentando, innitendoque huic principio, quod nulla sit necessitas diversificandæ speciæ materiæ intulerunt, illam esse, ubique ejusdem speciæ, & advertendo, quod etiam in cœlis sunt accidentia, supponentia materiam, intulerunt, etiam dari in iis materiam.

DICES 2. Natura nihil facit frustra: hæc compositio esset frustra, quia compositio ex materia & forma, est propter generationes & corruptiones, Cœlis autem generari & corrumpi non convenit.

RESPONDET Suarez. Compositionem ex Materia & Forma, factam esse propter generationes, & corruptiones, non tanquam propter adæquatam rationem, sed tanquam propter finem extrinsecum. Finis autem intrinsecus, istius unionis, inter materiam & formam, est ipsa, substantiæ completæ compositio. Dici enim potest, corpora cœlestia, esse corruptibilia, quantum à parte materiæ, licet sint incorruptibilia, ratione formæ inanis sibiliter Unitæ.

DICES 3. Non sunt multiplicanda Entia, sine necessitate; sed nulla est necessitas, hujus compositionis.

RESPONDETUR. Posito, quod cœli non sint compositi, multiplicantur Entia, quoad speciæm, quia ponetur species corporis simplicis, quæ varietate sua conducirer pulchritudini universi.

PRÆMITTO tertio. *Spektatâ auctoritate probabilius est, Cœlos esse ex materia & forma compositos.* Ex Philosopho enim sic argui potest; Corpora naturalia sunt corpora, composita ex materia & forma, quia ille 2. Physic. c. 1. & 2. censet naturam, non nisi Formam esse & materiam, sed Cœli sunt corpora naturalia, ut sentit Lib. 1. de Cœlo c. 2. Ergo cœli sunt corpora composita. Locus autem, qui in 8. Metaphysic. tex. 14. citatur in oppositum, non plus vult, quàm quod ex subjectis, transmutationi obnoxiiis, clariùs colligatur, dari materiam. Posito autem, Cœlos constare materiâ.

PRÆMITTO quartò. *Non esse ullam convictivam rationem, quod Cœli non habeant materiam, speciæ eandem, cum sublunaribus.* Quæ enim hujus demonstratio est Præmissum, contra Suarez. Disp. 13. Sect. 11.

DICES 1. Si Cœlum esset ejusdem materiæ, cum elementaribus, sequeretur, cœlos esse corruptibiles, haberent enim materiam, appeten-

tem alias Formas, qui appetitus, est radix corruptionis.

RESPONDETUR. Cœlos esse remotè corruptibiles, non verò proximè, quia habent Formam indefectibilem, & indefectibiliter unitam; & sicut materia, de se capax penetrationis, redditur accessu quantitatis impenetrabilis: cur non reddetur etiam materia cœli, de se capax corruptionis? cur inquam non reddetur, accessu Formæ indefectibiliter unitæ, incorruptibilis proximè? præcipuè, cum etiam de se materia sit incorruptibilis.

INSTABIS 1. Virtus ista, quæ debetur Formæ indefectibiliter unitæ, non est infinita. Ergo superari poterit à Sphæra ignis, cœlis subjectâ.

RESPONDETUR. Etiam virtus materiæ, speciæ distinctæ, non esset infinita, superari ergo poterit, & sicut virtus, quæ unit quantitatem materiæ, est virtus finita, neque tamen ab agente naturali separabilis est à materia; quod si illa inseparabilitas quantitatis, rejiciatur non in infinitatem virtutis, sed in conditionem agentium, & ipsius Formæ, quæ est quantitas, idem in præsentia dici poterit. Agnoscit ipse Suarez, Loco citato num. 17. faciliorem & nobiliorem esse modum, ostendendi incorruptibilitatem cœlorum, si cœlum non per resistantiam qualitatum, sed per intrinsecam, & substantialem compositionem, sit incapax peregrinarum Formarum. Nostra autem Responsio salvat etiam incorruptibilitatem cœlorum, per indefectibilem unionem, & materiæ de se incorruptibilis, & Formæ indefectibilis, & sicut in resurrectione Corporum unio indefectibilis, faciet corpora incorruptibilia; Humanitas item Christi, terminata verbi personâ, est indefectibiliter terminata, quamvis humanitas ex se, sit capax propriæ substantiæ, idque propter unionem indefectibilem, ita & in præsentia, idem dicendum.

INSTABIS secundo ex Suarez. Ista indefectibilitas unionis, arguit hanc materiam, non esse ejusdem speciæ, cum nostrate, quia potentia distinguuntur per actus; sed forma cœli illo modo informans, est actus longè diversæ rationis, à forma corruptibiliter unita. Ergo.

RESPONDETUR. Argumentum, si ut sonat, accipiatur, probabit multum, adeoque nihil: quia probabit, cum formæ substantiales sublunarium sint speciæ distinctæ, cumque animæ beatorum sint uniendæ, unionem indefectibilem in omnibus his casibus, fore distinctam speciæ materiæ. Potentiæ etiam extrinsecè specificantur, per suos actus, hinc potentiarum non arguent multipliciter, sed illam arguet ipsamet entitas, exigens has, vel illas habitudines; non nego tamen, quod per actus, tanquam per aliud notius, diversificentur potentiæ.

DICES 2. Si materia cœli est ejusdem speciæ cum nostrate, sequitur esse cœlos generabiles.

biles: esset enim v. g. aër, capax formæ Solis, appeteret enim materia aëris formam Solis, sicut & alias formas, hic autem appetitus causat generabilitatem.

RESPONDETUR. Communiter materiam aëris, esse capacem formæ Solis, sed remotissimè, quia deest agens, quod producat formam Solis; & certè cum videamus aliquas Formas esse, quæ producunt, & generant sibi similes formas, ut ignis ignem, & cum videamus aliquas formas, quæ non generant sibi similes, ut adamas non generat alium adamantem, nec albedo aliam albedinem, habemus rationem dubitandi; an Sol, sit de genere formarum productum sibi similem Formam? & ut accensetur Sol inter formas, quæ non generant sibi similem, habetur sufficiens fundamentum, quia scilicet nulla experientia, & nulla ratio, hanc vim, Soli tribuit. Deinde, quia formæ, quæ sunt magis resistivæ, minus sunt sui multiplicativæ, ut videmus in adamante, ferro, &c. cum ergo maximè resistiva sit forma cælestium corporum, sufficienter colligimus, non esse generativam. Deinde vis productiva, sibi similis formæ, est provisà à natura, ut restituat sese naturam in suis bonis, hoc est formis, quæ, quia perpetuò durare non possunt, successione suà, incorruptibilitati student: cum ergo forma Solis, & cælestium sit indefectibilis, & indefectibiliter unita, hinc illi non debuit provideri, à natura, vis alijs formæ productiva. Denique sunt aliquæ formæ, quæ, mortuo ut ita dicam modo, informant sua subiecta, qualis est forma adamantis, vitri, lapidis &c. aliæ autem informant, vivo modo, ut forma plantæ, seminis, bruti. Et sicut mortuus nullum habet proprium motum, quò moveatur, propter carentiam vitæ, quæ est exercitium motus; ita & formæ, quæ mortuo modo informant, nullum habent motum, consequenter, nec activitatem, quæ sit productiva alijs formæ. Porro eæ formæ, mortuo ut ita dicam modo, suum subiectum informant, quæ nisi ab extrinseco immutentur, alterentur, corrumpantur, natæ sunt non dimittere suam formam: & sic forma adamantis, ita unitur adamanti, ut nisi aliunde alteretur, semper sit duratura. Cum ergo, mortuo, ut ita dicam modo, Forma cælestis informet sua corpora, & cum ab extrinseco naturali agente immutari non possit, non debetur ei etiam activitas, quæ est proprietas formæ, vivo ut ita dicam modo, suum subiectum informantis. Quod si Sol non potest producere alium Solem, nec quodquam aliud agens, ostendi sine fictione poterit, ejusdem productivum, quod si nullum sit agens productivum formæ Solis, nonnisi remotè erit capax aër, formæ Solis.

INSTABIS I. Ergo potentia ad formam So-

lis erit otiosa, nullum enim ei responderet agens naturale.

RESPONDETUR. Nullum datur agens naturale, productivum animæ rationalis, & tamen non est potentia otiosa, ad animam rationalem, sufficitque ne sit otiosa illa potentia, si respectu aliarum formarum habeat agentia naturalia productiva formarum, & si respondeat in illa materia habitudo ad prædictam Formam, Deo tanquam auctore universi, volente illam ponere.

INSTABIS 2. Non requiritur vis infinita, ad producendum alium Solem: Ergo supposito, quòd materia nostras, sit capax talis Formæ, generari poterit Sol.

RESPONDETUR. Non ob defectum infinitatis, negari Soli vim generativam alius Solis, sed ob rationes prædictas.

INSTABIS 3. Rejicimus hanc incorruptibilitatem & ingenerabilitatem, in conditionem Formæ, & cur non in conditionem materiæ?

RESPONDETUR. Sola conditio materiæ non est ad hoc sufficiens, nam de facto materia est ingenerabilis, & incorruptibilis, nec tamen facit, ne alia generentur & corrumpantur, hinc defectus generabilitatis & corruptibilitatis rejici deberet, in formas; quod si possit rejici in illas solas, melius fiet, quia non multiplicabuntur entia sine necessitate.

DICES 3. cum Arriaga: Perfectius intelligitur incorruptibilitas Cæli, si illius materia sit incapax Formæ alius: Ergo defacto illa constat.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, non enim perfectius intelligitur, quia non intelligitur, salvo hoc principio, non sunt multiplicanda &c. potest autem salvari hæc incorruptibilitas, per solam Formam inamissibiliter unitam, & verum quidem est, magis proportionari materiam capacem, nonnisi unius formæ, cum forma inamissibili, spectatà proportionem, in ratione actus & potentiae; sed non magis proportionari, ad vim arguendi: nam inamissibilitas Formæ non arguit diversitatem materiæ, sicut nec arguet in beatis, nec amissibilitas Formæ, arguit defacto corruptibilitatem materiæ; imò cum Forma inamissibili, magis proportionatur materia, utpote incorruptibilis, quàm cum formis sublunariis corruptibilibus.

DICES 4. cum Conimbr. Non congruebat Deo, ut materiæ cælesti daret appetitum ad alias Formas, & tamen illam impediret ab afsecutione boni, quod desiderat, hoc est ab afsecutione aliarum formarum.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum de forma multorum sublunarium, quæ à Creatione mundi non amiserunt, neque ad finem amittent suam formam; itemque de

† i 2 corpo-

corporibus beatorum. Non est autem inconveniens, habere appetitum impeditum, affectione boni inamissibilis, præcipue, si ita deponatur bonum universi. Deinde quia non censetur aliquis, impediri à consecutione boni, si id per pauca habet, ad quod per plura evaderet, sicut non censetur aliquis impediri, à consecutione duorum imperialium, si illi detur unus Hungaricus. Porro hoc bonum, quod est in varietate formarum, est inter alia perpetuitas, complebitatis per formam, cui consultum inamissibiliter unita Forma.

DICES V. in oppositum esse auctoritatem Aristotelis.

PRIMUS LOCUS ex primo de Generat. Tex. 53. & 83.

RESPONDETUR. Non multum curari debere in hac materia, auctoritatem Aristotelis, quia hic agnovit, etiam à Deo incorruptibiles Caelos; vel certe, illò locò, solum vult, ea communicare in eadem numero materia, quæ ad invicem agunt & patiuntur, eadem enim numero manet materia, sub utroque mutationis extremo; sed non negat, communicare in eadem specie materia, etiam ea, quæ non agunt, nec patiuntur ad invicem: vel solum vult, in talibus, signantiis eandem esse materiam.

SECUNDUS LOCUS est ex 3. Metaph. Tex. 15. ubi ait, non esse eadem principia rerum corruptibilem & incorruptibilem, nisi eadem genere.

RESPONDETUR. Loqui Aristotelem de Formis, quæ non eadem, corruptibilem & incorruptibilem.

TERTIUS LOCUS, ex 1. Metaph. tex. 10. quæcunque, inquit, mutantur, materiam habent, sed diversam. Subsumo: Caeli non mutantur. Ergo habent materiam diversam.

RESPONDETUR. Loqui illic Aristotelem de diversitate petibili à Formis, succedentibus in mutatione.

DICES PRIMò. Genes. 1. dicitur: Deum creasse à principio cælum & terram, ubi nomine cæli, cælum Empyreum, nomine terræ, materia prima intelligitur, ex qua reliqua omnia; Hinc colligitur, saltem Empyreum habere materiam distinctam, licet reliqui cæli habeant eandem materiam.

RESPONDETUR. Negando, nomine Cæli, venire cælum empyreum, quia de facto Scriptura utitur verbo tali in Hebraico, nempe Samaim, quod pluraliter significat, imò caret singulari, & id etiam innuit Psal. CI. Initiò tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: unde quando posterioribus diebus dicuntur creata, Sol, Luna, Stellæ, non intelligendum est, esse creata, quoad substantiam, sed quoad accidentalia munera, quod etiam innuit Augustinus 11. de Civit. cap. 33. Nego item nomine terræ venire materiam

primam, nemo enim dicit Solem ex terra creatum.

DICES SECUNDò. Augustin. lib. 12. Confess. c. 8. ait: Omnia producta à Deo ex materia informi.

RESPONDETUR. Concedo, omnia producta ex materia informi, sed nego, quòd ex eadem specie: nam concessis materiis distinctis specie, adhuc verificabitur, singula producta ex materia carente Forma.

DICES TERTIò. Sapient. 11. habetur: Manus tua creavit Orbem terrarum ex materia informi.

RESPONDETUR. Non dicit Scriptura, esse creatum orbem ex materia informi ejusdem speciei; deinde nomine materia non venit illic materia prima, sed significantur corpora simplicia, ex quibus Deus mundum creavit, eò modo quò lapides & ligna dici solent materia domus. Unde dicitur illa materia informis, non informatate substantiali, sed informatate accidentali, hoc est, propter carentiam lucis, motus, &c. *His Præmissis*

DICENDUM est. Non satis constare, an materia omnium corporum sit eadem specie.

PROBATUR. Quia licet possit non tribui celestibus materia diversa specie, quia tamen nescimus, per auctoritatem, quid in hoc genere voluerit Deus, non possumus quidquam concludere.

DIFFICULTAS III.

De ingenerabilitate & incorruptibilitate Materiae.

PRÆMITTO PRIMò. Interdum sumitur nomen ingenerabilis, pro improducibili, & sic falsum est, Materiam primam esse ingenerabilem; de facto enim producta est. Nomen etiam incorruptibilis interdum sumitur, pro inannihilabili: de fide autem est, materiam posse annihilari.

PRÆMITTO SECUNDò. Interdum sumitur nomen generabilis & corruptibilis, pro eo, quod generatur & corrumpitur, & in isto sensu, materia non est ingenerabilis & incorruptibilis, est tamen generabilis & corruptibilis, ut vocant subjectivè; in ea enim omnes generationes & corruptiones peraguntur, hocque voluit Aristot. 8. Metaphys. 4. & 12. Metaph.

PRÆMITTO TERTIò. Nomen ingenerabilis potest sumi pro eo, quod non est producibile dependenter à subjecto vel in subjecto, & nomen incorruptibilis pro eo, quod non potest naturaliter desinere, appellant vulgò hanc ingenerabilitatem & incorruptibilitatem terminativam, hoc est Ens, quòd non possit ge-

fit generationem & corruptionem terminare, & in isto sensu.

DICENDUM est: *Materiam esse ingenerabilem & incorruptibilem*; hoc est, non posse ex præexistenti subiecto produci, nec desinere naturaliter.

PROBATUR Conclusio *quoad primam partem*; Si materia posset ex præexistente subiecto produci, hoc ipso non esset materia. Antecedens probatur, quia jam materia non esset subiectum primum, utpote supponens aliud subiectum ante se, nempe id, ex quo producitur.

Quoad secundam partem; ex eodem medio termino probatur; quia si corrumperetur, non esset id, in quod abeunt omnia; siquidem illa ipsa abiret in aliud; nihil enim per annihilationem desinit. Rursus, si corrumperetur Materia, vel corrumperetur suapte naturâ, vel per actionem agentis naturalis: non per actionem agentis naturalis; quia illud agens, vel annihilaret illam Materiam, vel certè faceret illam resolvi in aliud; non primum, quia nullum naturale agens habet vim annihilandi, sicut nec creandi; Non secundum, quia illud ipsum, in quod resolveretur Materia, vel posset ulterius resolvi, vel non; si posset, dabitur processus in infinitum; si non posset: Ergo illud potius erit Materia prima. Non potest etiam desinere materia suapte naturâ, quia ea dicuntur suapte naturâ desinere, quæ requirunt dispositiones ad suum esse easque adhuc pugnantes, quod de Subiecto primo dici non potest.

OBJICITUR Primò in Oppositum, Auctoritas Aristotelis.

PRIMUS LOCUS est ex I. Physic. tex. 82. Ubi censet, materiam partim oriri, partim interire.

RESPONDETUR. Intelligendum esse Aristotelem, quod velit materiam oriri, non ratione suæ entitatis, sed ratione Formæ, quæ materiam monstrat, facitque illam discerni in universo; perire autem ratione privationis, quæ aliqua in omni generatione desinit.

SECUNDUS LOCUS est ex I. de Cælo tex. 61. Ubi corruptibilem dicit esse corruptibilia principia.

RESPONDETUR. Sufficere ad hoc verificandum, ut aliqua principia sint corruptibilia, v.g. Forma, aut ejus amissibilis unio.

TERTIUS LOCUS est ex I. de Generat. tex. 24. ubi ait: Generationem esse mutationem totius in totum; Si autem non corrumpitur materia, quomodo generatio erit mutatio totius in totum?

RESPONDETUR. Nomine totius, intelligitur hic totum denominationis, & compositum, pro toto, quâ tali, acceptum, quod semper in omni generatione mutatur; sed non intelligitur mutatio totius, pro singulis partibus accepti. Unde etiam dicit Aristoteles in gene-

ratione, nihil sensibile idem manere; quasi innuens manere aliquid, sed non sensibile. Quamvis autem dicatur, Materiam esse causam corruptionis, non sequitur, Materiam esse magis corruptibilem, quia illa est causa corruptionis, non nisi subiectivè, ex eoque quod sit causa corruptionis subiectivè, non sequitur, illam debere esse magis corruptibilem; alias si corrumperetur, hoc ipso, subiectum corruptionis non esset.

OBJICITUR secundò. Agens potest producere Formam. Ergo potest producere & materiam; qui enim potest plus, potest minus.

RESPONDETUR. Argumentum probare, quod homo, qui potest generare hominem, possit & bovem generare, qui est ignobilior.

Pontius dicit: qui potest plus, potest & minus, si minus contineatur in virtute causæ.

Disparitas etiam assignari potest, quia si agens naturale possit producere materiam, & produceret illam, ut supponitur & non produceret: quia subiectum primum produci non potest nisi creando; nulla autem Creatura creare potest; jam autem Forma potest produci sine creatione per educationem. Quamvis autem qui potest plus in eodem genere potest & minus, non tamen in diverso, diversus autem est ordo materiæ & Formæ.

OBJICITUR Tertiò. In corrupta Eucharistia producuntur vermes, qui habent materiam, & tamen in Eucharistia non reperitur materia: Ergo apparet, quod agens materiale possit producere & Formam & Materiam. Ergo.

RESPONDETUR. Quod non quidem ante tempus productionis vermium, sed in ipso tempore productionis adsit jam materia, jamque tunc non est Eucharistia nisi ampliativè. Unde etiam negari potest, Omnem virtutem esse in agente quam habet Materia, & quamvis haberet, nec dum illam posset producere, quia ad titulum producentis non solum requiritur habere prædicata æquè nobilia ac aliud, sed etiam requiritur habere vim illud producendi, sicut duæ æquales species Angelicæ, æquales sunt, & tamen neutra potest producere aliam.

OBJICITUR quartò. Ad hoc ut aliquid dicatur generari & corrumpi, sufficit ut unio partium dissolvatur, esto utraque pars maneat, ut contingit in composito humano, sed potest dissolvi unio partium materiæ. Ergo.

RESPONDETUR. Ad corruptionem totius heterogenei, sufficit corruptio Unionis, ut apparet in composito humano; sed ad corruptionem totius homogenei, id non sufficit, ut videre est in separatione guttarum, quæ nullo modo per hoc dicuntur corrumpi. Quod ipsum in hoc principium resolvi potest, quia cor-

ruptio malum est quoddam, nec datur ad illam, indifferentia ejus, quod corrumpitur, sed appetitus ne corrumpatur; jam autem homogeneis per se loquendo æquè bonum est uniri & non uniri, indifferensque est totum homogeneum, ad retinendam illam unionem.

Deinde per nos, continuatio est mera formalitas eaque negativa, nempe negatio terminorum, hinc nec continuatione generabitur, quid enim negatione generatur; nec discontinuatione corrumpetur, quia etiam hæc denominatione, est mera formalitas, orta ex diversis connotationis, quæ tamen non sunt sufficientia ad hoc, ut aliquid dicatur corrumpi, cum perficiatur hoc, sine deperditione entitatis, quam tamen, corruptio rigorosa, semper importat.

OBJICITUR quintò. Si materia esset ingenerabilis & incorruptibilis, totum compositum diceretur incorruptibile & ingenerabile, quia sicut ex eo quoddam compositum componatur ex corpore, vocatur corporeum; ita ex eo quia componitur ex ingenerabili & incorruptibili, vocari debet ingenerabile & incorruptibile.

RESPONDERI solet 1. Duplicia sunt prædicata: quædam Affirmativa, ut esse corporeum, materiale; quædam Negativa, Ut esse ingenerabile, incorruptibile, &c. ista prædicata quæ sunt Affirmativa, dicuntur de composito quamvis Uni tantum parti convenient, Prædicata autem Negativa alterutri non nisi parti convenientia, quale est incorporeum immateriale, non refundunt suam denominationem in totum, imò nec affirmativa æquivalentia negativis dici possunt de toto, & ita ly spirituale, quia est prædicatum æquivalenter negativum, importans non esse corporis, de toto composito dici non potest. Cum ergo prædicatum incorruptibilis & ingenerabilis sit prædicatum negativum, & cum hoc prædicatum, non conveniat formæ materiali generabili & corruptibili, ideo nec toti composito conveniet. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia, Prædicatum spiritualitatis est omnino positivum, nec tamen refundit suam denominationem in compositum humanum. Ergo falsum est, prædicata affirmativa refundere denominationes: quod enim dicitur esse spirituale, esse æquivalenter negativum dicam, & ego esse corporeum, esse æquivalenter negativum; dicit enim negationem spiritualis. Tum quia ex vi hujus responsionis sequitur, saltem compositum humanum esse incorruptibile & ingenerabile, quia utraque ejus pars est incorruptibilis & ingenerabilis. Tum quia hujus ipsius danda fuisset ratio, cur affirmativa prædicata refundant suam denominationem in totum, non refundant negativa.

RESPONDERI solet. 2. Ideo compositum non

posset dici ingenerabile, quia illius Unio non est incorruptibilis & ingenerabilis. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia querere restat: Cur ex eo quoddam unio non sit incorruptibilis, nec compositum debeat dici incorruptibile: curque in hac denominatione sequatur compositum conditionem unionis, & non conditionem partium? Tum quia supposito, quoddam in composito humano Unio sit spiritualis, generari non poterit, & tamen compositum dicitur generatum. Ergo apparet in denominationibus non sequi compositum conditionem Unionis. Tum quia unio in composito non habet rationem principalis, cur ergo denominationes suas dabit composito, cum denominatio semper sit à principali.

RESPONDETUR 3. Et ex eo quidem compositum vocari corporeum, quia constat corpore, sed non ex eo solo præcisè, quia aliàs etiam spiritualis anima fundaret in composito humano denominationem spiritualis; sed vocatur corporeum, quia & constat corpore, & quia esse corporeum, est quid imperfectius & comparativè ad spirituale, defectuosum quoddam & malum, adeoque petibile ex singulis defectibus: quia autem esse incorruptibile, est bonum quoddam & perfectum, debet esse ex integra causa. Unde ulterius cum non singulæ partes sint spirituales, nec denominabitur totum spirituale, præcipue cum etiam hæc ipsa compars spiritualis, ordinetur ad corporeum; illudque perficiat, quo ipso condescendit, ut totum, in quo illa continetur, corporeum vocari possit: & sicut quamvis in claudis unus sit pes rectus, sequitur claudicatio; ita & in præfenti sequetur denominatio non spiritualis. Quamvis autem utraque pars in corpore humano sit incorruptibilis, quia non singula illius compositi sunt incorruptibilia; neque enim est incorruptibilis unio: ideo non appellatur incorruptibile, præcipue autem si perfectius non sit natum elevare debilitatem inferioris, tunc denominatio non fit à principali. Jam autem forma non elevat debilitatem Unionis, nec materia.

OBJICITUR sextò. Si materia esset ingenerabilis & incorruptibilis, haberet se ita quoad generari & corrumpi, sicut Angelus & anima rationalis in suo genere, qui cum solo generali Dei concursu in æternum durare possent: sed non habet se ita Materia; quia anima separata sine miraculo petit à Deo conservari: Materia autem absque omni forma, non potest sine miraculo conservari.

RESPONDETUR. Sufficere ut quoad aliquid ita se habeat Materia ac anima rationalis. Materia autem sine omni forma posita, petit non nisi formam, sed non petit annihilari. Quod petat materia non nisi cum forma conservari, provenit id ex speciali connexionione ejusdem cum

cum forma, quam non dicit anima rationalis, imò oppositum dicit; quia ex eo, quod non siteducta, petit conservari naturaliter sine materia. Unde exigentia illa in Materia, non provenit ex illius corruptibilitate, sed ex connexionespeciali cum Forma.

OBJICITUR septimò. Si Materia est ingenerabilis: Ergo est nobilior formis materialibus.

RESPONDETUR. Diverso respectu id verum esse: nobilior enim erit, ratione incorruptionis, ignobilior ob prædicatum potentie.

QUÆSTIO V.

De Causa Materiali.

EX rationibus supra adlatis, conjungimus Disputationem de Materia, secundum quod principium est, & de materia secundum quod Causa est. Priorique tractatione jam expedita, ad secundam accedemus.

DIFFICULTAS I.

Quid materialis causa, que ejus causalitas, effectus, &c.

Non est idem, esse Causam materialem & Materiam, hinc Angelus & anima nostra, non est Materia, & tamen, & Angelus, & Anima, est causa subjectiva, adeoque materialis suorum actuum, habituum, &c. cumque definierimus supra, quid sit esse materiam, nunc

QUÆRES I. *Quid sit esse causam materialem?*

RESPONDET Aristoteles 2. Physic. text. 38. *Est id, inquit, ex quo aliquid fit cum insit*, seu, quod illi insit; *ly id ex quo est*, per modum generis ponitur, hinc etiam ulitata locutio obtinuit, quod compositum fiat ex materia & forma; *ly autem cum insit*, est per modum differentie, & sic formæ non inest Materia, sed è converso materiae forma. Et licet hæc definitio non competat causæ materiali comparative, tam ad formam quam causat, quam etiam comparative ad compositum sumpta, non ideo tamen rejicienda, quia non est tradita ab Aristotele, cum omni rigore, sed nonnisi per modum descriptionis, tradendo eam per ordinem ad aliquod principale, quo cognitio reliqua cognosci de facili possent; & cum respectu compositi materia non sit vera causa, sufficit quod per ordinem ad formam explicetur, ut sensus sit: causa materialis est id, ex qua tanquam ex subjecto producitur forma, obligata connaturaliter, nonnisi inesse subjecto.

QUÆRES 2. *An causa materialis sit vera causa?*

Potest materialis causa comparari ad formam materialem à se educibilem, potest comparari & ad compositum. Quod sit vera causa respectu compositi, Negat Arriaga & Oviedo, hinc, puncto i. n. 8. Lesius autem inclinante Arriaga, negat etiam respectu formæ materialis habere Materiam rationem causæ, quod etiam docuit Suar. 17. Disp. sect. 1. num. 10. Oppositum sentit Oviedo Controvers. 3. pun. 4. n. 7. & cum eo recentior Suar.

ASSERO 1. *Materiam, respectu formæ educibilis, esse veram causam.*

RATIO est. Tum quia, si non esset causa materialis, vera causa, respectu formæ educibilis, non esset ratio, cur non verè creetur, nam verè fieret ex nihilo sui; si autem insuper fieret ex nihilo subjecti, quæ erit distinctio inter formas creatas &eductas? si enim esset aliqua, esset hæc, quia quantumvis nulla esset causalitas causæ materialis in formam materialem, ex eo tamen non crearetur, quia dependeret in suo fieri, tanquam à conditione à Materia, sed hoc non potest salvare, ut dicatur verèeducta, nam ut urget Oviedo, creatio animæ rationalis, exigit materiam tanquam conditionem sine qua non crearetur, & tamen anima non educitur: Ergo educi non est fieri ex nihilo sui, dependenter à subjecto, tanquam à conditione. Rursus per Arriagam, unio potest creati, & tamen non potest non dependere ab utroque extremo: Ergo per istam similem dependentiam, non rectè salvatur ratio educationis. Tum quia non est quid improprium in forma materiali, quod exigit Materiam sine qua connaturaliter existere non potest: non est item quid improprium, quod habeat materia jus & vim, ut formæ materiales, nonnisi sibi unitæ existant, quo supposito sic urgetur. Jus & vis efficientis ad producendos effectus, facit efficiens verè causam: Ergo & jus visque Materiæ, ut sine illa non possit existere naturaliter forma materialis, faciet materiam verè causam. Tum quia etiam Materia respectu formæeductæ, est principium determinans ejusdem existentiam, cum etiam sine illa naturaliter existere non possit, & quidem non habente se Materia ut conditione ex dictis supra. Ergo Materia respectu formæeductæ, est vera causa.

Quæ in contra objici possent solventur, ubi de educatione

ASSERO 2. *Causam materialem respectu compositi non esse veram causam*; quod enim aliqui dicunt esse veram causam intrinsicam, de hoc ipso querendum erit: An esse veram causam intrinsicam, sit esse veram causam? & quidem materiam respectu compositi esse veram causam, etiam ii negant, qui ponunt, quod sit vera causa, respectu formæ materialis.

RATIO 1. Formatur à quodam pro asserto: componere non est causare; alias etiam Trinitas